Wykowski
1764

AD
SERENISSIMVM
POLONIARVM
REGEM
ORATIO.

https://rcin.org.pl

Ludwik Hr. I. Michalski
Ze zbiorów

IMPRIMATVR.

Actum Vilnæ d. 6. Mensis Novembris Anno Domini 1764.

A. HORAIN *Episc. Hierenens. Refer. M. D. L. Archid. Viln. Libr. Censor.*

mppr.

XVIII.3.464
https://rcin.org.pl

STANISLAO . AVGVSTO . SAPIENTI . PIO
PACIFICO . FELICI . ELECTO . ET . RE
NVNTIATO . POLONORVM . REGI . MAGNO
DVCI . LITVANORVM . ROXOLANORVM
BORVSSORVM . MAZOVIORVM . SAMOGITA
RVM . KIIOVIENSIVM . VOLHINIORVM . PO
DOLIORVM . PODLACHIORVM . LIVONVM
SMOLENSCENSIVM . SEVERIENSIVM . CZER
NIECHOVIENSIVM . ALIARVM . QVE . PRO
VINCIARVM . PRINCIPI . POTENTISSIMO
AC . INVICTISSIMO . PATRE . STANISLAO
COMITE . PONIATOVIO . PRIMARIO . REGNI
SENATORE . PACIS . ARTIBVS . AC . MILI
TARI . GLORIA . CLARISSIMO . MATRE . CON
STANTIA . PRINCIPE . CZARTORYSKIA . A
REGIO . IAGELLONVM . SANGVINE . ORI
VNDA . LECTISSIMA . ET . SAPIENTISSIMA
PROGNATO . AD . SECVLI . ORNAMEN
TVM . REI . PVBLICAE . FELICITATEM
DOMESTICAE . GLORIAE . INCREMENTVM
DVM . SACRIS . CAERIMONIIS . IN . RE

https://rcin.org.pl

GEM . ORTHODOXVM . INAVGVRARETVR
ORATIONEM . PANEGIRICAM . DE . LAV
DIBVS . SVIS . SCRIPTAM . NOMINE . PRO
VINCIAE . LITVANIAE . SCHOLARVM
PIARVM . QVA . PVBLICE . QVA . PRIVA
TIM . DEVINCTISSIMAE . IVSTIS . OFFICIIS
FIDEI . PIETATIS . CLIENTELAE . GRATI
QVE . ANIMI . CONSERVATORI . RELIGIO
NIS . LEGVM . ET . IVSTITIAE . VINDICI
EQVESTRIS . DIGNITATIS . PROPVGNATO
RI . PACIS . RESTAVRATORI . SECVRITA
TIS . PVBLICAE . ADSERTORI . LITTERA
RVM . ATQVE . LITTERATORVM . TVTORI
PATRI . PATRIAE . REGI . AC . DOMINO
SVO . LONGE . CLEMENTISSIMO . IOAN
NES . CANTIVS . STANISLAVS . WYKOWSKI
DE . CLERICIS . REGVLARIBVS . SCHOLA
RVM . PIARVM . PERENNE . OBSEQVII . ET
VENERATIONIS . MONVMENTVM
L. M. Q. D. D. D.

https://rcin.org.pl





Nunc ego ſtudiorum meorum fructum percipio uberrimum, nunc diſertus mihi eſſe videor, nunc demum videor non ad exigui prædicationem temporis commendationem adſecutus. Sinite me decora ingenia, vobiſcum in ejusmodi laudum ſocietatem venire. Adeſt tempus, cum vos e tenebris, in quibus deliteſcitis, in lucem protracti, hoc, quo exulto & triumpho, honore cohoneſtabimini. Hoc illud regnum eſt, o! literis, o! bonis omnibus nuncii beati, in quo bonarum artium magiſteriis redibit ſpiritus, vita, & ſanguis; in quo olim vario ſcribendi genere magnifice veſtra ſeſe efferet, exercebitque induſtria. Non occaſio deerit,

https://rcin.org.pl

mihi credite, non commoditas, neque cætera adjumenta. Quo magis lætandum, gratulandumque mihi censeo, hanc primum ad me delatam esse provinciam, in qua summos viros & omni doctrinæ laude præstantissimos: CARNCOVIOS, CROMEROS, ORICHOVIOS, VARSEVICIOS, pro dignitate esse versatos, non possum non meminisse. Nempe de STANISLAO AVGVSTO Poloniæ Rege dicere, quid illustrius, quid honorificentius, quid optabilius? et dicere de Rege in hac altitudine fortunæ ac gloriæ ita collocato, ut nemo alter in EJUS perfectæ cumulatæque virtutis contentionem venire ausus fuerit; isque unus post hominum memoriam, novo ac inaudito, posterisque memorando exemplo: mirifico Senatus consensu, incredibili Equestris Ordinis studio, tota denique Polonia ad decertandum, si opus foret, parata, faustis ominibus, ardentissimis votis, precibus expectatus, expetitus, atque electus sit; de EO igitur dicere quam ampla, quam copiosa & gravis ad tractandum materia? Enimvero quæ gratior civibus, quam quæ de optimo Principe instituitur laudatio? de optimo autem in tanta bonitatis affluentia, ut ex omni retro antiquitate præstantiorem, quem proponas, non inveniens, hoc solum expetas, hoc dicas: TE imitere optime Principum, TECUM certes. Nam quid in Invictissimo Rege non summum, quid non divinum, quid non immortale? Ille & antea semper extitit Equestris dignitatis Propugnator, ille juris & æqui Vindex, consilii publici gravissimus Auctor, & nunc est libertatis, pacis, tranquillitatis, securita-

https://rcin.org.pl

ritatis Adſertor, atque Pater Patriæ amantiſſimus. Quodſi tot immortalia in nos beneficia, Regum Maxime, obtinere non poſſemus, niſi per multa longe ante præcurrentia mala; dicerem: hæc omnia tanti fuiſſe. Nec vereor, ne id in Patriam dicam impie, quod in Parentem Reipublicæ pie dico. Nam quid tam unum eſt, quod diſcerni ac ſeparari nequeat, quam Regis noſtri cum ſuo Regno proſperitas? Hæc ſors Tua, cum privatum ageres, fuit, ut nec vinci ſine Patria, nec vincere poſſes; hæc autem modo propria virtus, quod & amas, & amaris ob Rempublicam. Sic Poloniam Poloniæ reddis, ſic mores moribus, leges legibus reſtituis, æquabilitatem juris inter cives ſervas, non vero æquale jus virtuti cum ſcelere, impunitati cum præmiis; revocas priſcam fidem, juſtitiam, concordiam. In conſilio bellico, adminiſtratione rei oeconomicæ ac ærarii publici, ex Senatorio & Equeſtri Ordine idoneis vis eſſe locum; hoc pacto omnium excitas ſolertiam, ſpe allicis ad laborem, ad decus, ad honeſtatem. Geſtire videntur ſinguli ſuo commodo, non tamen poſſunt, quin ſimul geſtiant Tuo beneficio. Atque ego dum hæc veluti extento digito demonſtro, dum innuo, an Tibi Princeps optime non videris exaudire, qui ſint populi plauſus? quæ adclamatio? tanto major (inquiunt) quanto melior! Quis gaudia tanta moretur? quis non incitet, non addat? Imo vero favete aperte, diligite conſtanter; cujus conſilio, auctoritate, opera perfectum eſt, ut videri maluerit nos potius inveniſſe bonos & beatos, quam feciſſe. Hæc inter Ordo noſter

https://rcin.org.pl

ſter Regum Majeſtatis obſervantiſſimus, idemque fideliſſimus, quo pietatis, quo lætitiæ non uſitatæ majorem in modum ſignificandæ ardet deſiderio? Minima certe Litvana Provincia id unicum in votis habet, id á me contendit, obteſtatur: age (inquit) ſentiat Rex ſapientiſſimus animorum noſtrorum ex ſua creatione incredibilem voluptatem, fac agnoſcat ſingularem pietatem, quemque maxime meretur, & quo digniſſimus eſt, gratum in ſe Scholarum Piarum animum pro innumerabilibus ſuis, ſuorumque beneficiis ſole clarius intueatur; id opto vehementiſſime, id fieri perquam cupio; diſpeream, ſi ulla mihi in præſentia, hac ſollicitudine major, ulla juſtior: quodſi hæc ſcribendo de Tutore ac Parente noſtro niſi cogitares, tamen ipſa grata eſſet cogitatio; quid? cum ſine ſummo amore talia cogitare non poteris. Jam licet omnes ingenii intendo nervos, non tamen tanto ponderi expendendo ſatis firmam admoveo manum; utinam idem mihi contingat, quod pictoribus ſculptoribusve uſuvenit, ut cum aliud agere videntur, non modo veram imaginem, ſed animi quoque motum exprimant. Faciam igitur quod in Eugenii Herois incliti e candido marmore ponendo ſimulacro ſolertis artificis non inepta fecit manus, ut in documentum, quemadmodum arbitror, venerationis, pietatis, ampliſſimique de Heroe illo judicii, effigiem ſuam ſub ejus collocaret pedibus; longe id opportunius me nunc & facere & ſentire decet, ut non artis hoc, ſed pietatis ſpecimen quodpiam judicetur; quippe non ea eſt animi vis, non ea in me dicendi facultas, quam-

quam

https://rcin.org.pl

quam illa mirum quantum clarior, uberiorque in tanta rerum maximarum varietate, atque copia incredibili nunc existat, non ea inquam, ut coram eloquentissimo Rege sese ostentare audeat. Nam heic quoque, ut in cæteris, tenet principatum; adeo: ut Augustissimum STANISLAI AVGVSTI nomen non hominis, sed eloquentiæ merito habeatur; scilicet illius perfectissimæ, quam copiose loquentem sapientiam vocat TULLIUS. Quæ porro gens tam remota aut barbara, quo istius copiose loquentis sapientiæ fama consiliis, factisque confirmata non pervenerit? Quis sapientissimi regiminis laude florentem nondum sciat Poloniam? Proinde dum præconceptæ de TE, Potentissime Rex noster, meritissimæ opinioni, non tantum mihi sumo, ut satisfacere queam; ad communem omnium sensum præsentem accommodabo orationem, ac bona aliorum Regum venia, quod proprium TIBI una omnium voce celebratur, ut potero, attingam. Videlicet: quod maximæ imperii moli par, meritoque felix, felicitatem TUAM cum Republica communicasti.

Extincta cum vita SIGISMUNDI AUGUSTI I. Jagellonia Domo, ad incrementum Regni Poloniæ, decus & libertatem divinitus concessa, in pleriſque omnibus electionibus ac renunciationibus Regum suorum, Majores nostri, prudentissimi ac perspicacissimi mortales, omni ope efficiendum curarunt, ut non facile, cum primi conatus in HENRICO VALESIO extero non successissent, ab affinium Jagellioniis Principum ad gubernacula Reipublicæ tractanda ad-

https://rcin.org.pl

motione discederetur. Nempe intelligebant, consilio suo occurrendum fuisse, ne quid juris in Poloniam, clari & potentes illi maximorum Regum quondam necessarii, armis sibi arrogarent. Hinc Stephanum Batoreum, hinc Sigismundum III, ultro ad regnandum evocatos, virtute bellica in solio collocarunt; quia cum dignitate suorum paci & tranquillitati studebant. Cesserunt juri suo digni illi Jagellonio sanguine posteri, gaudebant amantissimi Reipublicæ cives, quamvis nihil præter id, quod jure justeque possidebant, adquisivissent, adjecta Livonia vix non integra, firma, minimeque dubia, & ideo (ut sperabant) pacifica in uno Reipublicæ corpore maximarum Provinciarum adjunctione. Sed potissimum, cum nihil præter tranquillitatem ac securitatem suam quærere viderentur, ejusmodi Reges quæsiverunt, qui, rebus tum Poloniæ florentibus quam maxime essent idonei. Hoc exemplum Nostrates, quorum ætas post incidit in deteriora Reipublicæ tempora, non undequaque sequuti, forte ob candidatorum de Regno contendentium multitudinem, id solum pensi habentium, ut speciosis pollicitationibus, profusis impensis, nulla demum intentata ratione populum in suas partes traherent, votique compotes efficerentur. In hoc legitimo imperio parum abfuit, quin nomen regium venale prostare, plusq; offerenti patere siverint. Vix sine dolore commemorari valet, quam indigne tanta amplitudine populi Poloni ultro citroque datæ acceptæque conditiones, hinc dominandi, illinc ultra Herculis, si fieri posset, columnas finium Regni proferendorum libi-

https://rcin.org.pl

libidine, quasi vero Patria nostra omnibus aliis regionibus latissime patens, si intra Europæ terminos illas spectemus, parum dominationi relinqueret spatii, aut parum in se utilitatis contineret; quæ primum ea jam est frequentia populi, ut, quæ olim bellorum tempestate afflicta & prostrata jacebant in nonnullis provinciis territoria, nunc cultoribus in infinitum ferme propagatis agri vix sufficere possint; testis Ucrainia, testis Polesia, ubi pro finibus tuendis tanquam pro aris & focis certatur; tanta deinde frugum ubertate, ut duo regna de suo alere possit, tanta ad vitam degendam commodorum opportunitate, ut alienis facile careat, si legi sumptuariæ sit locus; sua autem si retineat, magno detrimento, majori incommodo magnam partem Europæorum afficiat. Quid igitur opus erat acriter instare de recuperandis, quæ in aliam ditionem, aliam regiminis formam, alias leges, consuetudines, alium cultum, alios mores desciverunt, pridem provinciis? aut quid necesse erat, quod natura ipsa divisit, ultra maria novas quærere terras, novas figere velle colonias, cum nullum magnum imperium diu stabile fuerit, & quæ nimium crescunt, sua mole ruant? Hoc animadvertentes oculati, nostraque vitia in commodum suum vertentes candidati, quæ libenter non concederent intermundia, quas equestres palæstras non promitterent; quasi vero his, tanquam Atlante cœlum, Respublica niteretur; quasi hoc esset, quod ad decus, ad incolumitatem Regni pertineret. Quod si quis ex me quærat, num reprehendam aliquem? an forte succensem? ego vero in-

https://rcin.org.pl

cuſo neminem; ſed ſi omnino quidquam proferre deberem, non aliud proferrem, niſi illud: o tempora! o mores! Arduum ſane eſt privato, nec in maximis publicis negotiis verſato, de Republica dicere, vel ideo, quia, ſi de iis, qui præſunt, dicas, non poſſunt laudari boni, quin ſtatim improbari ſe ſentiant mali. Verum ne quis forte aliter, atq; à me prolatum eſt, hoc accipiat, quod priuſquam in cauſam ingreſſus ſum, inviolabiliter me ſervaturum dixi, idem & memoria teneo, & deinceps ſemper retinebo. Scio namque & ſapientiſſimi Regis noſtri id perquam placere modeſtiæ, & meo conveniens eſſe pudori, quia ſic inſtitutus, ſic edoctus, ſic animatus ſum in hac, quam profiteor, vitæ ratione, ut integra ſemper eorum, quibus omnis a me debetur, loquar reverentia. Quis porro non id ſponte tribuat, quod ab alio efflictim expeti, magnique fieri animadvertat? præſertim, quod & promptum ſit pollicenti, & factu haud difficile; aut quis in eo culpam ineſſe dicat, quod interdum ob rerum viciſſitudines imperioſa præſcribit neceſſitas, vel ſuadet honeſta ratio publici alicujus emolumenti, licet illud ſit exiguum, non tamen majus occurrat animo? demum, quod graviſſimum eſt, ſi dicatur, error eſt, non culpa, qui utique in exemplum trahi non debet, at emendari. Vitio nihilominus malignitatis humanæ tardiora ſunt remedia, quam mala, cum in cæteris, tum præcipue in magnis illis Rerumpublicarum corporibus. Quapropter optime & e re nunc ſibi conſuluiſſe, prudentiſſimeque feciſſe Senatorium & Equeſtrem Ordinem, quis negabit? quod, quantum id eſſet,

https://rcin.org.pl

eſſet, quod ad TE STANISLAE AVGVSTE, rebus omnibus circumſpectis, concordi ſuffragio tandem detulerunt, perpendentes nihil præter Regem, & Regem maximæ regiminis moli parem; hoc præſertim difficillimo Reipublicæ tempore, ad interitum jamjam vergente quæſiverunt. Quam digna! Senatu digna! Equeſtri Ordine, in Comitiis Electionem præcedentibus, quam gravis, quam proficua quæſtio, non quis, ſed qualis Rex eſſe deberet? Atque in hac quæſtione ſtabilienda, cum ad decus Patriæ, tum ad utilitatem publicam graviſſima conſilia reſpexerunt. Sancitum proinde eſt, in Polonia Polonum Regem eſſe debere, propterea, quod ingeneratus amor Patriæ in ejus ſinu enutrito, ſtudiumque majus amplificandæ gloriæ eſſe credatur, quæ ab alienigena fruſtra requiras; tum quod præclarum eſt inter populares noſtros reperiri, qui cum ſe, tum alios regere ſciant; quod denique patriis moribus & legibus informato, tutius meliuſve credatur libertas. Sunt hæc revera maxima, ſunt honorifica, ſuntque in imperaturo perquam opportuna, quin tamen ſint alia, quæ conjuncta apprime regimini reddant idoneum, dubitari nequit. Omnes regiæ in eligendo oportet reperiantur virtutes: ſit fortis, juſtus, ſeverus, gravis, magnanimus, largus, beneficus, liberalis, qui par Regiæ Majeſtati, non minus amore & favore populi, quam judicio prudentum Rex creatur. Quid porro horum in STANISLAO AVGVSTO deſideratur? Si accurate ſingulas dotes conſideres, ſi ſeorſum, quemadmodum unaquæque earum Potentiſſimum Principem cohone

https://rcin.org.pl

ſtet, atque ornet, inveſtiges; ſuperiorem omnino hoc in genere habebis neminem. Nam, ſi pro æquitate pugnare fortitudinis eſt, ſi venientibus malis obſtare, ad idque utilitate omnium impelli, ſi labores, moleſtias, offenſiones pro Republica ſubire, nec iis frangi, ſi denique tranquillitate & ſecuritate ſua ab adminiſtratione ſummi Magiſtratus non avocari, fortis ac conſtantis eſt viri; in quem aptius illa omnia cadant, quam in TE Conſervator Reipublicæ noſtræ? nonne ipſe, quantumvis moderationem animi prætendas, quantumvis modeſtiam præteferas, perſpicis? Jam juſtitiæ ſeveritatisque partes ut impleas, longus ſim, ac in re nota moleſtus, ſi recenſeam; quippe, ſi qua alia, hæc certe virtus latiſſime patet; nempe omnia vitæ officia complectitur; quidquid præpotenti Numini, quidquid Patriæ, quidquid ſuis, ac tandem amicis, clientibus, ſervis debetur, ad juſtitiam refertur, totque diverſæ dotes juſtitiæ nomine continentur. Sed quæ privata ſunt, in alium locum rejiciamus; quæ vero ad regium munus pertinent, vel obiter attingamus. Juſti profecto Regis partes ſunt: propulſare ab iis, quibus infertur, injuriam, defendere innocentes, nec pati eos eſſe deſertos, quos tutari debeat. Huic TU utiliſſimæ parti juſtitiæ & privatus ſtuduiſti maxime, & nunc publicus Tutor officium non deſeris. Atque hujus præſtantiſſimæ laudis tot præcones nactus es, quot prius conſilio, & opera tua, nunc autem Regia auctoritate ad æquabilitatem juris, ſecuritatem, bonorumque ſuorum ex communi naufragio ereptorum poſſeſſionem ſunt reſtituti.

Quid

https://rcin.org.pl

Quid de ſeveritate dicam, quæ, quia a judiciis invidiam, infamiamque arcet, non modo revocanda, ſed omni ope tuenda eſt; nam quid perniciosius Reipublicæ? quid periculoſius omnibus bonis? quam in judiciis pecunioſum hominem, aut gratia pollentem, quamvis ſit nocens, non poſſe damnari; non poſſe audacium ſceleri reſiſti; innocentium calamitatem levari; periculum, ſi quod intenditur, propulſari, imo vero per judicum ſententias, jusque jurandum id improbos cives adſequi', quod ſcelere & ferro adſequi, ſe poſſe deſperent. Hanc ſeveritatem quin retineas nulli dubium eſt, qui ſemper antea bonorum Fautor contra perditos extitiſti, quique operam Tuam contuliſti, ut leges in judiciis, non arma valerent; hoc nomine Lituania Propugnatorem Te ſuum antea, nunc Vindicem profitetur. Jam gravitatis, magni animi quid opus eſt adferre ſpecimina, aut longius repetere, cum quotidie præ oculis haberi poſſint, aut de his ſollicite diſputare, cum nemo adverſetur; idem Tibi in arduis ac ſecundis tenor vitæ, eadem mens in proſperis & adverſis, omnia honeſtate dimetiens; animi, non corporis viribus, quidquid ex magno & excelſo animo honeſtum quæritur, efficiens, domeſticas fortitudines militaribus non inferiores judicans, virtute demum ſola excepta, omnia infra ſe poſita exiſtimans. Minime vero arbitror, reliquis animi Tui ornamentis explicandis diutius me debere immorari, cum non tam laudi datur in hoc fortunæ, dignitatisq; gradu largum, beneficum, liberalem vocari, quam vitio vertitur, communem cum cæteris Regibus hanc

https://rcin.org.pl

laudationem non habere, præſertim vero in Polonia, ubi regnantibus datum eſt, prodeſſe omnibus, nocere nemini. Itaque pro dignitate cuique tribuis, negligis neminem, in quo aliqua virtutis ſignificatio appareat, in his agros imitaris fertiles, qui multo plus adferunt, quam acceperunt. Vocat me ad ſe civilis prudentia, continuo TUO in maximis negotiis uſu, jugi meditatione, polito ſubactoque judicio, Hiſtoricorum non perfunctoria lectione comparata; iſta profecto reliquarum omnium dotum condimentum cenſetur, iſta qui carent, non modo magni Reges, ſed ne Reges quidem proprie ſunt nominandi; neſcire, quid unaquæque cauſa poſtulet, quid in unoquoque negotio ſit decernendum, quid decorum, quid non, cum privato turpe eſt, tum vero ſummo Gubernatori turpiſſimum. Hac autem ita emines, ac excellis, ut non modo prædicationem, ſed admirationem quoque moveas. Hinc nemo Regiam accedit TUAM, quin quietus ac lætus recedat, quin non plene ſuis precibus, ac ſecundum æquitatem ſatisfactum putet; agnoſcant & fatentur omnes ſe exoptatum Regem habere, & eum Regem, qui laborem libens perferat, quive aſſiduo vigilet, ne quid detrimenti Reſpublica patiatur, qui in omnia intentus, feſſis Patriæ rebus præſentiſſimam ferat opem; iſtud vero, dicet aliquis, ſapientis Regis eſt, imo vero ſapientiſſimi. Nam ſi ſapientiſſimi eſt non decipi, non falli, non committere, ut aliquando dicendum ſit: non putaram; HIC ſolus non fallitur, non decipitur; ſi ſapientiſſimi eſt, de rebus bene & vere judicare, HIC judicat ſapientiſſime; ſi penetrare

https://rcin.org.pl

trare, diſcernere, noſſe præterita, futuris providere; penetrat, diſcernit, noſcit atque providet; ille cauſas rerum, ille conſilia, ille eventus, quid ex unoquoque ſequatur, quid non, longe antequam eveniat, præſcit. Si ſapientia eſt rerum divinarum humanarumque ſcientia, quid non perſpectum Maximo Principum? quam ita non callet diſciplinam, ut in ea ſola, quamvis ſit ſolertiſſimus, elaboraſſe videatur? Quare ſi quando ſapientiam Regno huic præſidere optavimus, nunc voti compotes, hoc ſaluberrimo deſperatis rebus auxilio adinvento, tandem aliquando reſpiremus. Quid jam noſtrum quiſpiam a malevolis religioni timeat, HOC Duce, HOC Auſpice? Ille enim potis eſt luce ſapientiæ ſuæ nubes diſſipare, ille inquam potis eſt armis quoque ſuum religioni decus adſerere. En redivivum poſt tot ſæcula VLADISLAUM II. JAGELLONEM, cujus auctoritate nominis, Turcarum impetus, excidium, & ruinam Hungariæ ac Germaniæ minitantes, ſunt retardati; viget profecto viget in ſanguine STANISLAI AVGVSTI avita JAGELLONIS orthodoxa virtus: en STEPHANUM BATOREUM pro recuperanda ab Hæreticis Rigæ Eccleſia Divi JACOBI prius Catholica fortiſſimum ac conſtantiſſimum. Ad vincendam enim a Chriſti gremio aberrantium pertinaciam non ante ſe pranſurum BATOREUS Rex adfirmavit, quam in illo, de quo agebatur, templo Sacris rite intereſſet; ceſſerunt conſtantiæ Regis, qui veritati, qui virtuti vel inviti cedere conſueverunt; tumque merito Victor religioſiſſimus eſt gloriatus, nullum unquam melius, quam ſe prandii ac

https://rcin.org.pl

cœnæ connubium celebraſſe: perpetuo tanta Regis illius virtus prædicabitur, neque de STANISLAI AVGVSTI invicto in religionis defenſione animo ulla unquam ætas conticeſcet, auſim promittere. Atque iſtud præcipuum regiæ dignitatis ornamentum, ſcilicet veræ religionis ſtudium, hunc in locum opportune animadverto eſſe conjectum. Religio, nullus dubito, cæterorum omnium animi bonorum, quod baſis ſit & fundamentum, nemo unus diffitebitur. Hæc namque, quotquot ſunt virtutes, menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, hac abſque nihil æquitas & leges valent, nihil jus jurandum, nihil imperia, nihil Magiſtratus cenſentur, nihil denique tam ſanctum, ſtabile ac firmum, quod infringi, violarique nequeat, tollitur ſancta ſocietas, non veritati, ſed cupiditati litatur, non utilitati publicæ ſervitur, ſed propriæ commoditati, & ut cujuſque fert animus, hoc rectum, hoc bonum, hoc ſolum appetendum, quod placet, putatur; ſi quis contra ſentiat, ſi ad ſua quoque vota opportunitatem trahens obſit, illico oritur æmulatio, diſcordia, odium prorſus implacabile, amicitiæ mortales, inimicitiæ immortales, omnia ſuſque deque miſcentur, ceſſant hominum erga homines officia, id denique ſtatuitur æquius, quod validius. Quamobrem ſi qui ſunt, qui libertatem ſentiendi de religione, qui liberum hæreſeon exercitium (ut recepto verbo utar) præter quam jus vi extortum turbulentiſſimis Reipublicæ temporibus præſcribit, in Regnum invehere moliuntur, ii jam regnante STANISLAO AVGVSTO Catholicæ Religionis Defenſore acerrimo, curam & cogitationem

https://rcin.org.pl

nem abjiciant, desinant sperare, quod adsequi nulla ratione poterunt, ne sentiant, ne experiantur sibi cum sapientissimo Rege, divini ac sui juris tenacissimo rem esse; desinant temere insolenterque jactare: jam modo non illud sæculum esse, quo candor & morum simplicitas in Majoribus nostris veneranda, sese illis constanter provideque opposuit, desinant sapientiam ævi illius singularem vitiositatis, barbariei, atque superstitionis nomine traducere, non inquam, ubi minime convenit, sapientiæ Polonis nomen adscribant; nam & quid hoc nomine significetur, compertum habent, et se nomine tenus decipi, cum re ipsa vere meritoq; laudandi sint: quod pestem à Republica sapienti perspicaciq; consilio repulerint, quod fuco alicujus utilitatis se abduci non sunt passi, ægre molesteque ferunt. Nec immerito; quis enim non commoveatur, si inde se laudari, ætatemque suam sapientiae commendatione celebrari audiat, quod religionem suam non defendat, non promoveat, non amplificet, quod eam fortunis, dignitati, vitae denique ipsi non anteponat, pro qua Majores sui tot sanctissimas leges divinitus sanxerunt, pro qua integre nobis inviolabiliterq; servanda Polonia universa, sedibus suis convulsa, apud Vielunium, mox Corcinum ad internecionem jurejurando sese obstrinxit? Video me multa extra argumentum protulisse, tamen ne id molestum sit, minime vereor, quoniam de Eo verba facio, qui & libenter de religione audiat, & eam laudem maximam esse putet suam; quo fit, ut cunctis re-

https://rcin.org.pl

giis virtutibus abunde, cumulateque ornatus maximae regiminis moli par exiſtat.

Sequitur, ut id pro modulo perſequar, quod alterum in Te ſuſpicimus ac veneramur, nempe quod merito Tuo felix felicitatem cum Republica communicaſti. Hic vero quanta gloriae Tuae exurgit ſeges, quanta ad diſſerendum mihi reſtat copia, ut nec facile ordiendi rationem, nec dicendi modum ſtatuere posſim! quid dicam, aut quomodo, quo ordine res amplisſimas attingam, quo me vertam? neſcio: totum me ad ſe trahit Reſpublica, ſuamque fauſtitatem arctisſime cum tua conjunctam, ita, ut neutra ab altera ſeparari posſit, jubet celebrari; nimirum: ut iis, qui maximis ſunt defuncti periculis, gratum ac jucundum eſt id referre, quo propius aberant a rerum aut vitae diſcrimine; ſic Reipublicae e mediis fluctibus emergenti, diuturnisq; quaſſatae procellis, atque jam in portu tuto ac firmiter conſtitutae auſpiciis Tuis velut amicisſimi ſideris exortu volupe eſt ſingula commemorari. Vexata illa inſanientis licentiae, quis enim dicere audeat libertatis? libidine, Tribunitiique furoris, nam Tribunitiae poteſtatis nomine inſignire injuria eſt, furoris inquam Tribunitii adflicta aegritudine nihil conſilii capere, nihil ad ſalutem opis habere potuit, eo periculoſior, quo inveterato malo ex tot infli-ctis ſecuribus ob indolentiam interitui propior: Sanctis-ſimae impune infringebantur leges, juſtitia e foro exulabat, aerarium publicum privatorum annui reditus praeponderabant, clarisſimi Imperatores non nihil opis exer-

https://rcin.org.pl

exercitui ad expeditiones bellicas desiderabant, rei familiaris privatis quanta diligentia tantum studium, publicæ vero rei ad œconomiam spectantis ne nomen quidem, commerciorum non ex publico modus, arbitrio vendentis merces, mensura & lucrum definiebantur, nummi veteres e Regno avecti, iniqui vero ponderis, nec puri puti, ingenti omnium damno disseminati, urbes vetustate collapsæ, arma in foro, arma in curia, profligatorum hominum divina ac humana jura violantium, in dies crescente audacia, conspiciebantur. Tam deformi carissimæ Patriæ facie nascéris o tutela præsens Poloniæ: haud adduci possum, ut non opiner divinitus præsensisse dignos tanto Filio Parentes, quantum illud bonum esset, quo eorum gaudia præpotens cumulavit Deus, brevi postea patebit, quid mens, quid indoles possit faustis nutrita sub penetrabilibus. Nunc quod ad celebritatem ac felicitatem Tuam attinet; an parum existimas, hoc tibi addidisse splendoris, parum commendationis? quod prognatus fueris vetustissima Vitelliorum Gente immortalis memoriæ Patre Stanislao Poniatovio Principe Senatus inter Militares Proceres, Castellano Cracovienſi, quo nullum agnoscebant cives Patriæ amantiorem, in Ministerio nullum fideliorem, in Senatu nullum graviorem, tam erecti siquidem Vir erat animi, ut omnia prospicere, quove essent eventura, prædicere posset. Ejus res pace & bello gestas plurima monumenta annalium, historiarum continent, ejus gloria Germaniam, Galliam, Sueciam, Moschoviam, Turciam peragravit. Huc accessit Matris regium e Jagel-

https://rcin.org.pl

Lonibus decus in Principum Czartorisciorum domo hactenus præfulgens; hæc autem cum esset incredibili, nec usitata in ejusmodi sexus & amplitudinis matronis sapientia, addidit non modicum adjumentum ad hanc, quam prædicamus felicitatem. Quid enim magis aptum ad hominum benevolentiam conciliandam, quam optima juventutis institutio, in qua manutenenda utrumque Poniatoviorum & Czartorisciorum genus his in terris palmam refert; sic sub oculis Parentum perfectissimorum, mox sub cura excellentium præceptorum ad pulcherrima facinora animus præparabatur tuus, nihil quod esset indecorum, nihil quod eruditis oculis, aut teretibus auribus parum gratum foret, permittebatur; hæc oris dignitas, hic status motusque corporis ad gravitatem compositus Regno jam tum destinabatur, omnia dicta, facta, ad verecundiæ, modestiæ, prudentiæ normam revocabantur, ne quid importune, neve non suo loco, non tempore fieret. Aderant domestica exempla, quæ non minus erudirent, quam incitarent; nihil in conspectu juvenilis ætatis non sedatum, non lene, non moderatum; hoc pacto animus ad frugalitatem, hoc est: modestiam & temperantiam, inducebatur, omnis colloquutio, consessus, conversatio ad urbanitatem, facilitatem, humanitatem dirigebatur. Non mirum itaque, si vim insitam in docili, & ad omne bonum prona indole ad summum promovit doctrina, si récti cultus pectus roborarunt, ut proinde a consueta agendi ratione recedere non esset integrum. Jam maturior, judicioque valens omni

libe-

https://rcin.org.pl

liberali doctrina informabaris. Mox adesse gravissimis tractandis negotiis, usuque rerum exerceri non molesse tulisti, nec ex historia modo, jureque Poloniæ publico patrii regiminis cognoscere modum, & nosse Rempublicam, sed etiam experimento comprobare, quid rectum, quid non, quave ratione, quod displiceret, emendandum didicisti; cumque omnes regiminis formas, jus omne non perfunctorie percepisses, nunc boni civis, nunc Equestris, nunc Senatorii Ordinis jura perpendebas, tum quos Socios Regnum haberet, quos amicos, quos clientelares, qua quisq; esset lege, conditione, fœdere investigasti. Hinc cum in Comitiis admotus negotiis publicis fuisses, ab omni re paratus ad illa tractanda accessisti. Tum videre fuit, quam graviter, quam copiose de rebus maximis differeres, quam arduas quæstiones facile, prudenter, provideque solveres; mirabantur, qui in ejusmodi administratione Reipublicæ ætatem contriverunt, incomparabilem eloquentiam dignam Populi Poloni libertate, in qua nisi elegantissimis moribus placeas, nisi facundia animos audientium permoveas atque flectas, nihil adsequaris. Tum præcipue de Te præclara judicia, tum studium juxtaque benevolentia Senatorii & Equestris Ordinis enituit, quodsi interdum importunis dictis a quoquam esses lacessitus, æque mirabantur extemporalem orationis ubertatem sine læsione Te lacessentis personæ, ac animi constantiam tantam, ut nec in vultu perturbatio, nec in ore verbum quodpiam asperum, sed justa & honesta excusatio contineretur. Legationem postea ad Roxolanorum Augu-

https://rcin.org.pl

ſtam demandatam qua cum Tui exiſtimatione, negotiorum exequutione, Regni proſperitate obiviſti, quantam Tui admirationem excitaſti, quantum omnibus deſiderium rediens in Patriam reliquiſti, facile conjicere quiſque poteſt ex pulcherrimis dotibus ſuperius adductis, non audeo dicere enumeratis; ne, aut quam late pateat virtus, quanquam hoc eſſet tolerabile, aut quod intolerabilius, numerare neſcire videar. Quapropter merito CATHARINÆ totius Ruſſiæ Auguſtæ, principibus viris, popularibuſque Tuis carus ac acceptus, hanc, quam in præſentia gratulamur felicitatem, es conſequutus. Enimvero niſi felicitatem Tuam cum Regno communicaſſes, non æque conſpicua, æque grata eſſet meritæ felicitatis magnitudo: quod contra accidit, quia excelſum animum divina providentia nactus, non Tibi tantum, ſed Patriæ univerſæ bono natus es. Id, ſi cætera deeſſent teſtimonia, vel eo luculenter probari poſſet, quod felicitatis in faſtigio conſtitutus, non conquieviſti, neque otio Tuo cum dignitate ſtuduiſti, ſed eam ad Patriæ commoda retuliſti. Et quamvis probe noſſes, leviter ægrotantes leniter curari; gravioribus autem morbis periculoſas curationes, & ancipites adhiberi, atque ab eo non recederes, quod ſapienter monet Tullius: in Republica tempori ſerviendum; ſtare enim omnes debemus, tanquam in orbe aliquo Reipublicæ, qui, quoniam verſatur, eam deligere partem debemus, ad quam nos, illius utilitas, ſaluſque convertit. Nec eſſe cum iis, quibuſcum aliquando contendimus, ſemper depugnandum, neque in-

con-

https://rcin.org.pl

conſtantis eſſe, ſententiam tanquam aliquod navigium atq; eurſum ex Reipublicæ tempeſtate moderari, quanquam, inquam, hæc ſenſeris, atque feceris, imo dixeris etiam in graviſſima oratione ſub tempus Comitiorum electionem præcedentium: non eſſe, in revocandis ad frugem civibus, o! dignam excelſo animo ſententiam, dignam hac tanta lenitate; iterum, iterumque repetam; non eſſe (adfirmaſti) ad judicium acerbitatem adjungendam, etiamſi noxii ſint, etiamſi forte mereantur, niſi ſalus Regni, niſi ſecuritas & tranquillitas publica aliter retineri, aut revocari nequeat; ubi vero illa revocaverit, ad lenitatem redeundum Reipublicæ omnium indulgentiſſimæ Matri. Quia tamen animadvertebas te illa lenitate, illis manſuetis conſiliis, nihil proficere, diuturnaque inuſtorum Reipublicæ vulnerum diſſimulatione non levari, ſed opprimi Patriam; quid in his conſilii? præſertim quia ſapientiſſimum PLATONIS præceptum in Reipublicæ adminiſtratione non ſervabatur; praecipit autem ille, utor verbis M. T. CICERONIS, eum in modum: Omnino, qui Reipublicae praefuturi ſunt, duo praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quaecunque agunt, ad eam referant obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus Reipublicae curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Ut enim tutela, ſic procuratio Reipublicae ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem periculoſiſſimam in civitatem inducunt: ſeditionem, atque diſcor-

https://rcin.org.pl

diam, ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optim cujusque videantur, pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnae diſcordiae, in noſtra Republica (de Romana loquitur) non ſolum ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia; quae gravis & fortis civis, & in Republica dignus Principatu fugiet atque oderit, tradetque ſe totum Reipublicæ, neque opes aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat; ita juſtitiae honeſtatique adhaereſcet, ut, dum ea conſervet, quamvis graviter offendat, mortem appetat potius, quam deſerat illa, quae dixi: hactenus Princeps Oratorum, idemq; Togatus Patriae Conſervator. Praeceptum hoc PLATONIS aliis imperantibus praeceptum eſt; TUI vero regiminis quid? niſi veriſſimum evidentiſſimumque teſtimonium. Itaq; quia altera neglecta civium parte, alterius ſuſceptam curam, ſtudium ac patrocinium animadvertiſti, hincque exorta odia, ac diſcordiam non potuiſti non videre, totum TE Reipublicae ita tradidiſti, ut omnibus conſultum ires. Itaq; in oculis omnium habitaſti, graviſſimiſque rebus non otioſus Spectator, ſed Dux & Actor adfuiſti; idcirco, quia Populum Polonum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere expertus es; nempe negotia maxima, privatim aut extra Regnum a TE pro bono communi geſta, non pro dignitate celebrabantur, paucos, qui ſcirent, probarent, congratularentur, offendebas, quae autem in conventibus juridicis, in comitiis, in foro, in curia a TE dicta ſapienter, aut excellenter facta ſunt, ea crebris ſermonibus uſurpabantur

https://rcin.org.pl

bantur, nihil fere unquam aliud in Polonia homines nisi de TE loquebantur, TUA recte facta laudibus ad cœlum usq; ferebant. Ergo hac fama, hac sapientia, hac dignitate cum esses, decuit TE, minus quam res exigit dixi, imo debuisti opem ferre communi omnium Matri; cum tamen invalidum esset legum auxilium, consilio locus relictus nullus, sciſſa in duas partes Respublica, alterutri necessario adhærendum erat; sed judicii pietatisque in Patriam extabat documentum, meliori, nimirum justæ, communemque utilitatem quærenti parti adhæsisse, præfuisse vero erat gloriæ & immortalitatis certissimum omen. Cœpisti fructum uberrimum hujus, ut deliberatum statutumque TIBI fuit, pro Patria devotionis, forti animo susceptisti labores, pericula, vitæ denique ipsius discrimen. Ubi hæc per inciſa notis publicis marmora discetis o! posteri; hortatur vos Regis nostri sapientia, ne a defensione Patriæ unquam deterreamini: nihil PONIATOVIAE non perficient manus, est enim Superis cura magnarum animarum. Inter medias sævientium hostili animo militum catervas circumsepta Vilnæ vindex justitiæ versatur virtus; districtis gladiis semel & iterum, proh nefas, proh sæculi labes, in Comitiis Varsaviæ sanguis Jagellonius! Sed quid opus est verbis? indignum facinus obliterandum, delendum ex hominum mentibus: tantane vos vestri cœpit oblivio, potuistis, vel mente tantum scelus concipere? hoc sacrarium legum impia manu violare potuistis? ego me a meis civibus, si quæri possit, doleat & ingemiscat Patria, tanto dedecore unquam adfectam speras-

 sem?

https://rcin.org.pl

fem? o pudor! o inverſi mores. Verum ſi fractus illabatur orbis (dictum bene & apte ad hanc magnitudinem animi) impavidum ferient ruinæ. Tandem ubi Tua Te fortuna ſervavit, exulcerati animi, parum abfuit, quin ad manus, ad arma venirent; tunc in ancipiti Reſpublica, tunc haud ante uſpiam major viſa populi conſternatio; res ferme ad extremum deducta putabatur, non modicis utrinq; viribus, non exiguo militari adparatu Petricoviam magnis itineribus contendebatur, ſumma erat hominum expectatio, quo motus illi eſſent evaſuri; dum ecce nec opinantibus adfuit Deus! adfertur ſubito e Saxonia triſte nuncium de obitu pacifici AVGVSTI III. reſedit æſtus animorum, callum obductum vulneri videbatur, indicitur juſtitium; tamen hoc brevi ſereno dilata tempeſtas cura graviore timebatur; quisque Magnatum, quantum privatæ facultates permitterent, delectum faciebat, quo ſuæ ſecuritati provideret; in omnibus Regni provinciis incredibili celeritate miles conſcribebatur, arma undique advehebantur, una ferme omnium erat ſententia: bellum portendi, quale nunquam antea, Poloniam tandem ſuis viribus perniciem ſibi adlaturam, aut communi incendio conflagraturam; corroborabatur gliſcens indignatio, impunitatiſque obtentu excidium & ruinam minitabatur. Quid jam reliquum ſpei fuit? cum ii quoque, qui ſupra vulgus ſapiunt, magnifico cultu neglecto, tabularia pretioſamque ſuppellectilem in vicinas exteras aveherent regiones; is erat ſtatus mole ſua ruentis Poloniæ. Erexiſti animos præter expectationem omnium,

Rex

https://rcin.org.pl

Rex Sapientiſſime, dum animi ægritudine concidentibus ſolatium, adflictis perculſiſque horrore præſidium, fortitudine, gravitate, conſtantia, demum civili prudentia attuliſti. Quippe pro Tua ſapientia intelligebas, quid oporteret a præſtantiſſimis viris in Republica fieri, quidve neceſſe eſſet, nimirum, oportere hominum audacium everſorum Reipublicæ ſceleri legibus & judiciis reſiſtere, ſi leges non valerent, judicia non eſſent, ſi Reſpublica vi conſenſuque audacium armis oppreſſa teneretur, præſidio & copiis defendi vitam & libertatem neceſſe eſſe; atque huic Tullii monito acquieſcens, illud quoque memoria retinebas: inter vitam perpolitam humanitate, & immanem, nihil tam intereſſe, quam jus atque vim, horum utro uti nolimus, alterutro eſt utendum: vim volumus extingui? jus valeat neceſſe eſt, id eſt judicia, quibus omne jus continetur; judicia diſplicent, aut nulla ſunt; vis dominetur neceſſe eſt. Hæc vident omnes, Tu vidiſti, & feciſti; ut jus experireris, vim depelleres; altero uti voluiſti, ut virtus audaciam vinceret: altero uſus neceſſario es, ne virtus ab audacia vinceretur. Utique magnæ experiundæ erant contentiones, magni ſubeundi labores, multi adverſarii, inimici, invidi; ſed mihi omnis oratio eſt cum virtute non cum deſidia, cum dignitate non cum voluptate, cum eo, qui ſe civibus, qui gloriæ natum arbitratur. Nam ſi qui aliud faciunt, patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui: eſt profecto hæc non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, ex-

https://rcin.org.pl

preſſimus; ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus: ut vi vis illata repellatur, & omnis honeſta ratio ſit expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda. His tot graviſſimis, veriſſimisque a CICERONE dictis, legem naturæ ad defenſionem præſertim Rerumpublicarum advocantis, ideo libenter utor, ut multum verſati in omni adminiſtratione civitatis oratio, majus ſit pondus habitura. Quocirca quidquid hoc perturbato Patriæ ſtatu factum eſt, recte & e Republica factum eſſe quis legis naturæ antiquitatiſque gnarus non inferat? præcipue quia non ad everſionem, ſed ad utilitatem publicam geſta ſunt omnia; geſta autem ea ratione, ut cum atrox bellum ſpectare viderentur, tranquillitatem ſimul & pacem ſumma omnium admiratione, ſumma voluptate pepererint: quæ major, quæ omnium prædicatione dignior victoria, quam viciſſe optimam ſententiam, & viciſſe ſine civium ſanguine? qui TIBI Invictiſſime Optimatum Princeps hoc nomine triumphi, quæ trophæa, qui plauſus, tantum quantum mereris laudationis exſolvent? Eſt enim non modo ejus, qui ſociis & civibus, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit; eorum quibus præſit, commodis utilitatique ſervire. Id profecto niſi ſapientiſſimus, & ſentire & facere non poteſt. Quapropter, ſi uſquam verum fuit illud PLATONIS, nunc profecto eſt, tum denique, dicebat ille: fore beatas Reſpublicas, ſi aut docti & ſapientes homines eas regere cœpiſſent;

https://rcin.org.pl

ſent; aut ii, qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Jam quid magis proprium ſapientiæ, quid præſtantius maximeque optabile, quam cum dignitate otium? hoc qui efficiunt, ſummi viri & conſervatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit, ut otio non proſpiciant: neque ullum amplexari otium, quod abhorreat a dignitate. Hujus autem otioſæ dignitatis, ait CICERO, hæc fundamenta ſunt, hæc membra, quæ tuenda Principibus & vel capitis periculo defendenda: Religiones, poteſtates Magiſtratuum, Senatus auctoritas, leges, mos MAJORUM, judicia, juriſdictio, fides, provinciæ, ſocii, imperii laus, res militaris, ærarium. Quid horum non reſtitutum, non revocatum, vindicatumque habemus? de religione ante electionem TUAM, eodem præſente & ſententiam dicente TE, in maximo Patrum Conſcriptorum, Equeſtriſque Ordinis conſilio agebatur; religio pietate erga DEUM incredibili, primum Reipublicæ hujus fundamentum & ornamentum conſtabilita eſt, revocatiſque prioribus contra hæreticos legibus, ne ad Magiſtratus, quod efflictim expetebant, admitterentur; neve quid juris ſibi arrogarent, accerrime defenſa eſt. Pacis Miniſtros, qui Magiſtratus in' Comitiis commendatione Senatorii & Equeſtris Ordinis creari ſolent, quia Comitia interceſſione infecta reddebantur, longo tempore non habuimus; proviſum eſt, ne initio Comitiorum intercederetur, ac Miniſtri, quamprimum ſufficerentur. Judicia hominum vitio corrupta erant, cauſarumque dijudi-

https://rcin.org.pl

candarum infinita pene crevit multitudo; decretum eſt, ut ſummum Judicium (Tribunal vocant) in Majori ac Minori Polonia conſtitueretur, ut judiciis tempus prorogaretur, ac deſtinati ſunt patrii juris peritiſſimi, qui diffugiis omnibus reſciſſis, litium quamprimum dijudicandarum & ſervandæ juſtitiæ rationem inirent, neve Magiſtratus juridici in Provinciis & Territoriis vacarent, neve judicia, eadem lege cautum eſt. Tum quoque Conſilium œconomicum magno Regni hujus damno uſque adhuc non receptum, modo maximo publico emolumento ex delectis viris conſtitutum eſt. Tum quoque Conſilium ærarii publici, atque Conſilium bellicum ſancitum eſt, ne ut antea unius Miniſtri pacis aut belli arbitrio, quod ſuſpicioſa libertas in invidiam paſſim trahere conſuevit, controverſiæ dirimerentur, & negotia publica ex unius ſententia gererentur, neve hæc latiſſime patens jurisdictio Cancellariorum, Ducum exercitus, Theſaurariorum interdum gravis aut injurioſa eſſet, additi ſunt e Senatu & Nobilitate, qui pari eſſent cum Miniſtris ad cauſas definiendas poteſtate, quive, quod utiliſſimum eſſet, providerent. Sic negotiis publicis, ſic utilitati Equeſtris Ordinis conſultum eſt; negotiis ideo, quia ordine & ratione fient, quia cum maximi momenti ſint, principio Comitiorum Regni decidentur, irrita interceſſione optimis quibusq; conſiliis inimica; Nobilitati autem in eo conſultum eſt, quod non modo bene mereri de Patria, ſed meritorum fructum non mediocrem colligere poterit. Præterea auctos ærarii cenſus, urbium reſtaurationi repertum modum, Regni

https://rcin.org.pl

gni opes ex reclusis divitibus auri argentique venis amplificandas quid referre est necesse? cum hæc inter omnes constent, & publicis monumentis consignata æternitati transmittentur. Ibit in sæcula, hanc felicitatem Patriæ, felicitate ejus Vindicis, ejus Defensoris, nunc vero Gubernatoris sapientissimi partam esse. Nam cujus hæc omnia auspiciis, consilio, auctoritate facta sunt, nonne TUIS? quo adiuvante? immortali memoria dignissimis Avunculis TUIS, Fratribus, & Consobrino clarissimis, præeunte Regni Primate Celsissimo, & prærogativam dante; tota denique Polonia ad tranqillitatem intus servandam excitata, & jurejurando fidem suam sibi firmante: quo favente ac promovente? nisi qua pace, qua bello Magno Borussorum Rege: quo opitulante? CATHARINA II. Roxolanorum Augusta sapientissima non suorum modo populorum, sed finitimorum quoque bono nata, innumeris magni excelsiq; animi, magni consilii, factis gloriosissima, quod interposita Majestate sua ab externis bellis Poloniam tutam atque liberam præstitit, quod imperii sui gloria, Romanorum gloriam imitata, longe lateque per orbem arma circumfert, quod vicinos & amicos imperii sui toto orbe terrarum celeberrimi ac maximi tuetur, demum jura, fœdera, privilegia, pacem ac tranquillitatem vicinorum suorum sartam tectam illibatamq; custodit, adeoque Polonis Polonum Regem caritate Patriæ ad eam sublevandam excitatum esse cupit. O factum omnium, quot quot sunt, & erunt, vocibus, literis, monumentis prædicandum! manebit semper apud nos, posterosque nostros

https://rcin.org.pl

grata ſingularis beneficii memoria, manebit Ejus Oratorum quæſita laus meritis, manebit invicti Ejus exercitus non vulgaris commendatio, quod non licenter, non injurioſe ſe geſſerit, adeo: ut ex diſciplina militari Fabricii aut Scipionis prodiiſſe ad exemplum aliorum videatur. Cæterum ut in orbem ducta, unde cœpit, redeat oratio, neve in publica commoda peccet, ſi Tua, Rex Sapientiſſime, tempora diu moretur: Te Regno apprime idoneum, Te merito fortunatum, Tuam proſperitatem cum publica arctiſſimo vinculo conjunxiſſe fatetur; quoniam prædicare pro dignitate non potuit. Quis quæſo ſapientiſſimum Regem divinitus datum ſatis prædicet? Tibi enim T. O. M. Deus adſcribam, tibi in acceptis referam, neq; enim aliter poſſum, hocce munus, quod difficillimo Reipublicæ tempore incomparabilem, ac immortalem Virum nobis donaſti, quod Eum non alias, at nunc, opportuniſſime conceſſiſti, per quem, & in quo Patriam noſtram recreares; tuum hoc munus eſt, quod Ejus virtuti ampliſſimum ad gloriam campum obtuliſti, tuum eſt, quod Ejus felicitati tot adjumenta infinita liberalitate tribuiſti, tuum eſt, quod Eum merito felicem prædicamus, noſque Ejus beneficio conſervatos florentesq; admiramur. Non decet vos, præſtantiſſimi Cives, debitæ laudis mercede privari, qui ad regium animum Patriæ defendendæ, operam attuliſtis veſtram: inprimis vos clariſſimi Principes, Potentiſſimi Regis noſtri Avunculi, Præſul Poſnanienſis, M. D. Lit. Cancellarie, & Ruſſiæ Palatine, quibus nihil non a Scholis Piis debetur, ob ſingularia in

nos

https://rcin.org.pl

nos promerita ſilentio præterire non decet, ſed pleniori ore vos, o! Gentis Lumina, laudare non eſt exiguæ hujus vocis rerum maximarum narratione jamjam deficientis; majora vobis grati animi, gratiarumque & publice & privatim agendarum debentur monumenta. Vobis quoque digniſſimi tanto Rege Fratres, nec non tibi Conſobrine Princeps inclite, qui iſtius pulcherrimi facinoris pars magna fuiſtis, Patria ſe obſtrictam, auſim promittere, ſemper profitebitur. Neque de vobis Ampliſſimi Senatores, pacis & belli Miniſtri digni hac Populi Poloni gloria, de vobis Patritiæ Gentes ſpectatiſſimæ, atque Equeſtris Ordinis univerſi decora conſociatis ad defenſionem Reipublicæ ulla unquam ætas conticeſcet; quod ſtudium veſtrum Regno huic non defuerit, quod Auctorem conſervandæ ſalutis publicæ benevolentia incredibili ſitis complexi, quod parem Regno, ac felicitatem ſuam cum eo communicantem Regem concordi ſuffragio elegiſtis. Felices vos! qui bonum, quo nullum in vita majus, nullum melius: Regem videlicet ſapientiſſimum, cumq; eo tranquilitatem, pacem, ſecuritatem atq; cum dignitate otium eſtis conſecuti. Felices! quotquot poſt naſcentur, qui in bene ordinata Republica alieno periculo tuti, alieno beneficio omnibus bonis cumulati, alieno labore, cura, ſollicitudine, proſperitatis perpetuitatem aſſequentur. Nam quid Potentiſſimo ac Invictiſſimo STANISLAO AVGVSTO regnante certo ſperare non liceat? Faxit modo DEUS immortalis, ut ille firma valetudine, quoad longiſſime mens noſtra reſpicere poteſt, vitæ beatæ protendat

https://rcin.org.pl

dat annos, nosq; sibi jugiter fidos, gratos, pios, dicto audientes, quod ejus Majestati, virtutibus, meritis, divino humanoq; jure debetur, summa animi voluptate cognoscat; quo in voto dum Provincia Lituana Scholarum Piarum operam suam pollicetur, pro publico, quo fungitur instituendæ juventutis munere, ad pedes Regios provoluta, sibi, studiisq; suis patrocinium & opem tam impense flagitat, quam qui maxime.

VILNAE
Ex Typographia S.R. M. & Reipubl. *Schol. Piar.*
Anno 1764.

Fundacji im. I. I. Michalskich ze zbiorów
14
https://rcin.org.pl
2629